si consonent quae significata sunt ad hanc expositionem, dicit
scriptura diuidere patrem ex aequo filiis duobus substantiam
suam, et quam substantiam. hic euangelicus pater diuidit filiis
spiritalis est nisi sapientiam intellectum boni et mali. quae uere et per
petuae sunt opes animae bene utenti, dat autem his pater diui
tias suas ex aequo, non enim quisquam aut iustus aut peccator
nascitur, sed quae ex deo est in prima natiuitate hominibus
substantia rationabilis aequaliter cunctis nascentibus datur,
de subsequenti autem conuersatione unusquisque plus aut
minus huius substantiae possidere inuenitur, dum semetipsis
per dissimilitudinem uoluntatum neglegenter deserunt, diligenter
autem custodiunt naturalia bona. alius enim memor et intellegens
domini creatoris ea quae a deo patre sumpserit ita ut sunt patris esse cre
dens quasi paterna custodit, alius autem sua ex se sibi esse existimans
sicut propriae possessionis licentia dissipandi abutitur et cito pro
fligata facultate priuatur, describitur autem in istis et euidenter
ostenditur libertas arbitrii quam animae rationali specialiter inseruit
creator deus, uide enim pater iste quomodo nec illum discedere uolentem
retineat ne liberi arbitrii ei auferat potestatem, neque alium ma
nere cupientem cogat abscedere ne forte sequentium malorum quae
postea his suo uitio accederent ipse potius auctor esse uideatur, si illis li
bertatem propriae uoluntatis abscederit, itaque et petenti dat quia ex no
bis non ex deo inopiae et offensionis nostrae causa proficiscitur. accipiens
autem partem suam iunior peregre inquit abiit longe, quod autem
ait longe non locorum intercapedinem sed declinationem mentis
expressit, qui enim obliuionem dei caeperit hic uere peregrinari a deo
dicitur. sicut e contra conuersatio saecularis non solum peregrinum
sed alienum deo hominem facit, et ut breuiter dicam. sicut peregrinamur
a saeculo praesentamus ad dominum sic et permanenter in rebus terrenis
a caelestibus exulamur, denique et cain exiit a facie domini. et longe effi
citur, non quia et locus aliquis foris esset in conspectu dei sed quo suam
mente diuisus exiit et a domino respectu uiri per homicidium separatus a deo,
haec ergo peregrinatione per magnam ignorantiam peregrinatores fuisse nos.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0270